Ex auctoris dono.
Lane Medical Library

B. W. SCHULTETUS AENEAE.

RUFI EPHESII
ΣΥΝΟΨΙΣ ΠΕΡΙ ΣΦΥΓΜΩΝ.

Leyden

RUFI EPHESII

ΣΥΝΟΨΙΣ ΠΕΡΙ ΣΦΥΓΜΩΝ.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/rufiepheiispecim0000bott

Lane Medical Library

RUFI EPHESII

ΣΥΝΟΨΙΣ ΠΕΡΙ ΣΦΥΓΜΩΝ.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI KERN,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. PROF. ORDIN.

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

DEFENDET

BOTTO WIGLIUS SCHULTETUS AENEAE,

E SANCTI JACOBI PAROCHIA [FRISIUS,]

DIE XXIX M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXXIX HORA XI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD P. SOMERWIL.

MDCCCLXXIX.

Types P. W. v. d. Weijer, Ultraj.

PARENTIBUS CARISSIMIS

VIRISQUE PRAESTANTISSIMIS

A. H. G. P. VAN DEN ES,

LITT. HUM. DOCTORI

GYMNASII RHENO-TRAJECTINI RECTORI

ET

MATTHIAE DE VRIES,

LITT. HUM. DOCTORI

ORD. LEONIS NEERLAND. ET LEOPOLDI EQUITI

PROFESSORI ORDINARIO

SACRUM.

He had many a sin, but the worst of all sins he had not, the sin of cant.

CARLYLE.

Credo ego vos mirari judices, quid sit quod, quum tot tantaque specimina inauguralia vernaculo sermone prodeant, ego potissimum surrexerim, qui Latinitatem et Graecitatem ex exsilio revocare hace dissertatiuncula conaturus sim.

Ut paucissimis verbis dicam quid ego de plerisque his speciminibus sentiam, his expromptum esse volo.

Scribentes Belgicis verbis stylo non utuntur, et, quum loquuntur verba, quorum avidissimi sunt et quae, si sciunt, ut ornamentum pileo imponunt, plane *βαρβαρόφωνοι* sunt medici.

Vobis exempla afferam e quibus planum fit, me non perhibere quae probare non possim.

Quod autem a vobis fortasse accuser me latine scribere, quoniam et ipsissimum medicorum mendum vitare nequeam, hoc verbis diluere mihi necesse non esse opinor, qui calamitate ex medicina orta, coactus fuerim per multos annos belgice scribendo et literas humaniorum docendo victum quaerere.

Nec tacui demens per totum id tempus et me, fors si qua tulisset, si umquam remeassem doctor, promisi ultorem et verbis odia aspera movi.

Nunc ego, veterum summorum medicorum scripta investigaturus, vobis prius probaturus sum quali modo medici doctrinam ea de re quam non habent ostentantes et clarissimi quidam ignorantiam verborum derivatione non occultantes ex scholastica jejunitate non solum non emersisse sed ea submersisse mihi videantur.

Quam hodierni medici colunt latinitatem non aliena est illorum scriptorum, quae obscurorum virorum esse dicuntur, et quae inter γραμμάτων ἐμπείρους vehementissimum risum movere solent.

Audite in concionibus medicorum quali modo verba expromant, et saltare effata vobis videntur.

Quantitatem negligere non solum mos est, sed nonnumquam deserunt facillimam viam in expressione, qua deserta, paene alio modo, ni sit incredibili tenacitate, exprimi non possunt.

Audite elephantiăsin, mydriăsin, diapedĕsin, anaesthĕsin, akinĕsin, anamnĕsin, parakentĕsin, et exemplorum quae legio sunt in ultima saltantia. Addantur onychomycŏsis, tonsŭrans.

Audite mihi perperam expressionem in sequentibus: os coccȳgis et tracheam aut trachĭam, dicrōtus et formĭcam et omnia quae exeunt in e u s, ut mastoideus, quae a medicis pro maiore parte ita expromuntur, quasi paenulttma longa esset.

Audite omnia verba exeuntia in i a, quae graeca sunt et quasi canuntur a medicis sonum habent, ut hypertrophīa, hyperaesthesīa, atrophīa, alia.

Deficiat dies si omnia huiuscemodi enumerare velim; ad scripta et derivationem transire mihi tempus esse videtur.

Capiatis mihi quemvis librum, libellum, dissertationem belgice conscriptam et statim reperies me verum dixisse. Olim dicebatur: Graeca sunt, non leguntur; mutata ratio est; nunc autem si Graeca mutaveris in »quae Germana non sunt" habebis justissimum judicium.

Quae enim Germana non sunt non leguntur, atque ita Germana leguntur et vertuntur ut stylus inquinatus sit verbis barbaris. Exempla sunt sexcenta:

Aanzameling van vloeistof, ademnood, uitgedrukte gevallen, hij lag de trachea open (in somnis fortasse), onbestemd, voorgeslagen ubicunque pro voorgesteld; hemmende centra, cuius si *h* in *r* mutaveris, optimum ha-

bebis vocabulum; porro audivi clarissimum praedicantem zuckungen melius id explicare, quam quod nos trekkingen nominamus. Non solum aures deficiunt.

Molière non diutius pergeret subridendo, si etiam nunc ita tractari quae ipse graviter et jocose castigabat nondumque mutata esse reperiret. En exempla. Habemus compendia de akiurgia (sic), in quibus necrotomia tractatur. Illa necrotomia est adimere partem ossis quae mortua est, et apud medicos non eadem est ac sectio cadaveris, quae est simplicissima huius verbi significatio. Ipse Albert, qui nondum remotissimus est a vera latinitate (nam non nescit dici oportere, de notissima gonitide si loqueris, de tumore albo genus pro genu, quod ultimum nuper clarissimum non amplecti audivi) ipse Albert, inquam, errat, quum narrat de syphili in lingua. Loquitur de cunnilinguis, analogia linguae forte adductus; nescit autem ultimas syllabas non a lingua, sed a lingendi verbo (λείχω) derivatas esse. Debebat loqui de cunnilingis, non de cunnilinguis.

Necesse est ut ego vobis exempla afferam quibus pateat, me non plura dixisse quam quae probare possim de

latinitate et modo derivandi, quam colunt medici hodierni. Sunt qui facillimam sententiam latinam non intelligant, sunt qui verba, quibus etiam illiteratissimi utuntur, numquam audiverint.

In lectionibus policlinicis aegrotans se professori obfert. Examine instituto atque peracto rogat vir clarissimus: putesne huic aegro accidere posse ut quodam die semet ipse interimat? et utebatur antecessor verbo *suicidii*. Non intellexit adolescens rogatum, nam verbum numquam audivit. Ex amicissimis meis aderat quis, qui lepidissima coniectura eum juvare conatus est. Ecquid nescis, inquit, *suicidium* significare »zwijnemoord"? Serius dictum erat et hoc quoque rogatus non audiverat neque intellexerat.

Quod quum ille amicissimus mihi aliisque dialecto Frisiaca adsuetis narravit ἄσβεστος ἐνῶρτο γέλως, et gratulati sumus ei, qui jocans tali coniectura alterum adiuvare voluisset.

Erat quis qui »le frémissement cataire" derivare vellet a catarrho. Inscius atque insipiens nesciebat et forte etiamnunc nescit id esse derivatum a sono, quem reddit felis mussitans.

Erant hi studiosi. Excelsiores petam.

Audivi medicum, virum doctissimum, collegae narrantem, se patienti (sic) hirundines adposuisse. Num recte volabant, rogavit alter. Alterum audivi qui, crure nondum inciso, rogavit latino sermone, (sic) ne aeger id Belgice dictum intelligeret: »est sanguem aut pus?"

Rogavit doctorandus atque archiater annon Hippocrates, summus medicus Graecorum, octavo saeculo *post* Chr. natum floruisset. Haec ipse miserrima audivi, accedunt alia quae curiosa sunt.

Quum ego Rheno-Trajecti examine publico interrogarer in laboratorio pharmocologiae instituto, legi recepta et quum praescriptum esset aq. dep. 200, legi: aquae depuratae grammata ducenta. Non tu ordine respondisti, inquit pharmacologiae peritissimus, ecquid nescis ducenti indeclinabile esse?

Non tibi assentiendum esse puto statim respondi, quo ille, optimus vir, se id credere velle inquit me dicente, cognominis ut ille dixit mei non immemor. Addidicit etiam aliquid, nam anno praecedenti obiecit examinando »gramma" plurale esse pro »grammata."

Quanta ignorantia latinitatis ille optimus vir exstiterit apparet ex dicto eius, quo demonstravit verbum *recipiendi* genitivum regere.

Audivi ego in praelectionibus clarissimum praedicantem κρίσιν derivatum esse a verbo graeco κρίνεται, quod significaret »ik word ziek", ad quod lepidissimum caput, quod forte in ea concione aderat, certe inquit, eo modo etiam derivamus rachitin a verbo ῥαχέομαι, ik ben een Engelschman. Facta sunt haec curiosa.

Transeamus nunc ad te, quamquam artis interpretandi quam imperitissimus, tamen in anatome describenda summus vir et anatomista si quis alius, qui talia atque barbara prodidisti, ut tibi, nam de te agitur, clarissime Hyrtl, mihi videatur tempus esse idoneum, quo ex somno excutiare.

Sponte tua scripsisti in optimo de anatome descripta libro derivationes, quae tibi eique libro maculam adspergere debent atque ita sunt, ut pueri de iis subrideant.

Scripsisti os sacrum nomen sumsisse —, sed potius iisdem verbis ac apud te reperiuntur narrabo.

Graeci eam partem columnae vertebrarum semper nominabant τὸν μέγαν σπόνδυλον (Latini autem os sacrum), sed quoniam apud Graecos ἱερός idem est ac μέγας, Romani id os nominabant (non Graeco vocabulo vertendo, sed abstracto sensu) os sacrum, quasi Graeci iniuste scripsissent et in scribendo semper cogitassent se scribere

incorrecte, sed cogitari ἱερός oportere dum μέγας scriberent. Insanis vir clarissime, neque hoc est unicum exemplum, unde tua insania pateat. Scripsisti acetabulum verbum esse mendosum. Aliquo insuperato acumine ingenii palam expromsisti opinionem: non acetabulum est verbum idoneum, sed acceptabulum, quoniam caput femoris accipit. Ἡδονὴν ἔχει ὅταν τις εὕρῃ καινὸν ἐνθύμημά τι δῆλον ἅπασιν. Credo id verum esse, sed antequam tu id corrupisti jam satis planum et graeculis quidem notissimum, quod omnibus te excepto clarum est. Scisne, vir clarissime, acetabulum idem esse ac quod Graeci nominare solebant τὸ ὀξύβαφον? Forma eadem est acetabuli corporis humani eius ac suppellectilis in qua mensis accubitis τὸ ὀξύ offerre soliti erant. Jam Plinius hoce verbo usus est, qui eo idem significaret ac tu in describendo anatomiam, sed quod tu corrupisti, gloriae interpretis vocabulorum avidissimus.

Alias tuas mendosissimas emendationes et turpes derivationes describere et refutare longum est et pertaesum.

Quis tecum diutius disputaret postquam audivit, oesophagum derivatum esse ab οἴω et φάγω? Quis est puer qui nesciat οἴσω futurum esse verbi φέρω, quis est

qui aoristo secundo non uteretur ἔφαγον, si forte verbum ἐσθίω conjugare coactus esset.

Μᾶλλόν γ'ἐστι σιωπᾶν ἢ οὐδὲν λέγειν, clarissime Hyrtl. — Si quidem ego et viam, quam ingressus est Rust, Germanus quis, sequi vellem et tibi ex analogia barbarum verbum offerrem. Rust scil. scripsit librum cui titulus est »Arthrocacologie," inscius titulum non indicare, quod ipse vellet. Tu autem, tuis derivationibus collectis, ne scribas cave titulum »Onomatocacologie", quod verbum barbarum tibi quidem verum esset.

Sunt etiam quos piget tanta atrocitate a barbaris in latinitatem invehi ut apud medicos mos est. Quos inter piae memoriae Niemeyeri debita laus ne retineatur necesse est.

Justissima iracundia commotus castigat eos qui verba incorrecta scribunt. Vituperare menda scit, emendare, meliora reponere autem nescit. Reprehendit eos atque in scriptores de tabe dorsuali animadvertit, dum haec apud eum in optimo libro legere possitis:

Tabetiker ist barbarisch; der von Westphal vorgeschlagene Ausdrück Tabiker ist grammatisch incorrect. Ulterius progredi non potuit atque via monstrata in verbo ipso desertor fit. Quare Germani non dicerent Tabescenten,

si quidem aliud verbum atque bonum sibi adsumere vellent, difficile est intellectu. Nec est hoc novi quidquam, neque forma cui antea non adsueti erant. Nam non nescientes *delinquentes* esse eos qui delinquant (participes temporis praesentis), obliti sunt eos in eadem condicione versari qui tabescant. Incredibile est Niemeyerum si Tabetiker et Tabiker obtruncare vellet, tabescentes non reliquisse.

Uberrimum habebitis agrum colendum, si ophthalmologiam purgare statueritis.

Paene caecum redderent literatum virum dictata et libri, in quibus de arcanis huiusce scientiae tractatur.

Sed nimium esse videtur de derivatione verborum diutius progredi. Non solum est culpa medicorum nihil eos scire de omnibus quae literae humaniorum appellantur. Si quos accusetis atque reprehendatis quaesitum eatis, accusate magistratum, curatores gymnasiorum (sentinam olim doctissimorum, si quidem docti non sint), accusate ministros, qui lege ad populum relata omnia sustulerint quae, quamquam medicos non reddant, tamen eos ornent. Reprehendite eos, qui huic ignorantiae favebant, eos qui, si quid boni, liberalitate commoti, impetrare non possent, tamen exstiterunt ea demolientes quae antea pro bono

haberentur. Si tamen caeci non fuissent, certiores facti essent huius rei, quae apud nostros vicinos, Francos, accidit.

Rogatu facultatis medicae latinitas et usus latinae linguae abolitus est, — paucis annis post rogatu eiusdem facultatis restituta est Romanorum lingua.

Hoc unum exemplum luce clariorem reddit condicionem in qua versamur, quum nova lex de archiatris ad populum relata est et nunc populo mercatorio non solum placuit sed acceptissima est.

Tacuerunt medici, quos inter patres conscriptos micantes cernere potestis, tacuerunt illi viri, qui verba facere debebant; nam populus tacitos neque taciturnos Hagam Comitis mittit, ut, si nil dixissent neve fecissent, tamen ornamento essent senaculo. Sedent vero et ita sedent, ut necesse non sit ut se sedent.

Vivimus nunc, et nos, *φορτικῶς πολιτεύομενοι*, taciti fruimur lege de archiatris. Lugduni Batavorum adolescens operam dat studio medicinae et jure interest lectionibus professorum, quod antea, pristina lege, vetitum erat; fac, optimum est. Si aliquando is archiater erit et peritissimus medicus, medicinae doctor evadere facillimo modo decrevit. Avunculus eius, excellentissimus vir, qui suam

urbanitatem et doctrinam ex scriptis Romanorum et jureconsultorum exhausit, hunc gradum perfacile impetrari posse ei persuasit. »Archiater creatus, proficiscere in Germaniam et eme tibi bullam."

Redeas tunc doctor, postquam ob magnam doctrinae praestantiam justissimo sensu doctor creatus es, nam creare est facere aliquid ex nihilo.

Redeas tunc doctor, postquam bullam emisti apud eas facultates, quae uno atque eodem die duas pecudes admittere nollent.

Notissimum enim est quod in una ex multis Germaniae universitatibus accidit.

Postquam vir dives doctor factus est, misit asinum, qui etiam summos in rabie et fame auri incensa facultate peteret honores.

Asinum alterum ad dominum remisit facultas, isque adytis haec tristia dicta reportat: Facultas illustrissima et amplissima uno die duas pecudes non vult admittere.

Macte virtute esto juvenis, qui talia ausus doctissimus eris, si quidem doctum esse negavit natura atque institutio. I nunc obviam avunculo et i gratulatum ei cui, ut Varro alter, qui de republica non desperasset, gratias agere debeas pro bono consilio.

Haec vester labor effecit, vos qui nuper medici fuistis, nunc autem amplissimi patres conscripti, atque qui quasi medicinae doctorum vespillones vos praestitistis.

Nam non adestis quum adesse oportet; non adfuistis; et erant qui mirarentur vos in concione non adesse, quum de iis rebus ageretur, quarum saltem aliquid scire vos oportebat.

Scito nunc, mi care populе Neerlandice, scito nunc quid significet equum Troianorum in moenibus collocare. Nunc scito, qualis sit ea lex de archiatris. Instamus tamen immemores caecique furore et monstrum infelix sacrata sistimus arce.

Si quidem nunc taciti fruimur veneno huius legis, statim antidotus paretur necesse.

Ferte nunc medici amplissimi hanc legem justissimam, qua vetitum sit quemquam doctoris titulum nomini adscribere ni summos, examinibus peractis in una nostrorum quattuor universitatum, petierit honores vel doctoratu potitus sit. Excipiendi sunt qui in extranea academia ob praestantiam doctores honoris caussa creati sunt.

Vidistis enim id munus sine opera et operibus impetrari posse.

Ferte mihi hanc legem et servate incolumem titulum

non solum, sed etiam gradum doctoratus et institutionem; sit solum, quod superest, literata, qua non instructus nemo, quisquis is est, doctus esse potest.

Aut pergite demolientes et parate locum in mercatorum ordinibus (ut antea tonsoribus, qui ad medicinam factitandam etiam jure imperatoris, i. e. vitae atque necis, fruebantur) medicis, qui quasi ex virorum doctorum ordinibus ejecti, a vobis in exsilio damnati erunt afflicti vitam luctuque trahere sortem iniquissimam.

Jam in academia damnati sunt. Si festissimi dies inter alumnos celebrantur ritu medicis non juxta medicos loca designantur, ne de iis, quae soli scire putent, semper inter sese colloquantur. Sexcenties accidit e taberna quemquam literatum effugisse, quoniam eum pertaesum erat atque pigebat medicorum de splendidissimis hoce die in nosocomio rarisque casibus disputantium.

Si autem medici latinitatem quam colunt et qua utuntur amittere deberent et innatam sollertiam in usu obscurorum et corruptorum nominum, qua ignorantiam inscitiamque tegant atque celent, etiam sustulisset legislator, tamen quod non sperandum est fecisset. Aegrotantem nescire, quo morbo affectus sit an non sit aut quali modo medicus medicamenta necessaria aut non

necessaria praescribat ea lingua atque verbis quae intellegat aut quae rogando ab unoquoque notissima esse scire possit, non oportere neque utile esse mihi videtur.

Quamquam absurdum a multis habetur, mea opinione aegrum qui sub medico est ei credere necesse est. Tranquillum reddit aegrum praesentia peritissimi aut non peritissimi medici, cui credit morbo affectus.

Et haec quoque res maximi est aestimanda et nonnumquam multum valet. Hanc ob rem, quamvis sit barbarus latinitatis usus, in praescribendo non abolendum esse puto.

Haec autem solum remanere sinunt legislatores, obliti sunt vero notissimae rei, nempe medicum esse debere non virum acumine ingenii praeditum, sapientem, sed etiam talem virum, qui aptus sit refutando et disputando iis obstare, qui malam viam ingressi sunt incorrecte cogitando. Hae sunt res quas adsequi non potestis medicinam factitando neque solum de ea arte nobilissima legendo sed studendo scriptores, qui alia lingua scribere solebant, quorum scripta perlustrare, ut mos est, non sufficit; has res obtinere poteritis frequenti cum quovis genere hominum usu, si antea bene instructi paratique eritis ad cognoscendum quaeve faciant vel cogitent.

Quantum valeat ea institutio, quae classica vocatur

videtis apud alios etiam doctis adscriptos. Nonne putares eum esse optimum atque aliis meliorem jureconsultum, qui quae Papinianus, Ulpianus, Gaius cogitabant legere et intellegere possit atque operam navare voluisset ei studio? Ceterum ex aliis negotiis quae ingenio exercentur, inprimis magno usui est memoria rerum gestarum.

Sunt qui putent, neque eorum numerus parvus est, quae nunc docent atque docentur, paene omnia nova esse et veteribus incognita.

Credo medicos medii aevi neque etiam temporum recentiorum (e. g. tempore Molière) non multum valuisse, sed quis est qui eodem judicio Graecorum medicos condemnare auderet? Ubi est, ni sit unico loco Amstelaedami, a clarissimo viro Israels occupata, ubi est in aliis tribus universitatibus cathedra, historiae medicinae destinata?

Mihi credere non opus est si ego vobis dictito magno usui esse memoriam rerum gestarum; sed si mihi non creditis, credite Darembergio, summo viro in historiam medicam describendo, qui multos scriptores veterum edidit et eo labore bene meritus est.

Tempora fertilia non fuerunt medii aevi, sed servabant ea, quibus edendis et investigandis gloriam aeternam sibi

pepererunt viri spendidissimi, inter quos nomino summum interpretem ante paucos annos defunctum, virum clarissimum Franciscum Zachariam Ermerins. Num putaretis eos viros per totam vitam laborasse investigando veterum scriptores, si eum laborem pili fecissent? — Sed vobis nunc alterius quam meam sententiam devolvam, qua descripta planum fiat eam historiam non parvi aestimandam esse. Legite mihi quae scripserit Daremberg in libro cui titulus est. »Histoire des sciences médicales." Historia docebatur a multis viris eruditissimis ineunte saeculo XIX° quos inter Goulin, Bosquillon, quorum ille eruditione plus valebat quam historia scribenda, hic autem magis notus est commentariis Hippocraticis et Graecitate, quam notitia medicinae, cui rei non ut medicus par esset, qui medica recte interpretaretur.

Hanc ob rem lapsa est doctrina historiae in Francia neque pedibus incessit annis sequentibus et invenies quae caussae fuerint verbis Darembergi.

»Il y a plusieurs raisons qui expliquent le peu de faveur ou du moins le peu de succès et la chûte de l'enseignement de l'histoire.

Ni la médécine ni l'histoire n'étaient assez avancées pour se prêter de mutuelles lumières; on était trop près de la médécine ancienne pour la bien comprendre; on

en avait trop souffert pour la juger avec impartialité. Le champ de l'observation était encore trop limité et l'interpretation des textes était encore trop arbitraire, trop systématique pour qu'on pût établir de fructueuses comparaisons. D'un autre côté l'enseignement de la médécine était si neuf, la génération présente était si mal préparée, les besoins étaient si urgents qu'il fallait courir au plus pressé, et rechercher *l'instruction clinique qui fait les praticiens*, *avant de songer* aux avantages des études historiques qui constituent le savant et qui donnent au praticien confiance et sûreté. Ceux que leur goût entrainait vers ces études, n'avaient eu ni le loisir, ni le recueillement indispensables pour s'y préparer avec fruit; les *connaissances préliminaires* et les vues générales leur faisaient également défaut; l'érudition et la critique n'avaient ni déblayé ni éclairé la route et l'on se traînait péniblement dans les ornières du passé."

Haec sunt quae scribit Daremberg de sorte historiae medicinae primis annis reipublicae Gallicae.

Haec est, si omittis ignorantiam medicinae practicae, condicio in qua nos nunc versamur.

Non sunt medici apti ad scriptores veteres legendos, non sunt apti, quoniam carent τῇ ἐγκυκλίῳ παιδείᾳ. Eo

statu erat res apud Francos tempore pristino, ut nunc propemodum apud nos nostro tempore.

Erat quis, celeberrimus medicus licet exiguo tantum tempore, qui medicinam pristinam historiamque non enecari sinere volebat, sed uno ictu eas trucidare statuit.

Homo, qui ex medicina practica cognomen habebat »du Saigneur," talis erat, qui neque veteres noverit neque cognoscere vellet et cui, sibimet ipse constans, laus Galeni et Hippocratis eodem modo invisa erat ac gloria Laennecci.

Dictator fuit ille, quod patet ex libro Examen des doctrines médicales, quo semper et ubique lectores cogere volebat hance opionem amplecti: nihil verum esse, nisi quod ipse in medicina pro vero haberet.

Quod de discipulis notum est dignissimum est auditu et devolvite mihi hanc ob rem Daremberg. »Ses disciples, qui avaient alors le haut du pavé, joignant leurs anathèmes, avaient convenu que l'histoire ne servait à rien autre chose *qu' à surcharger les étudiants et à gêner les professeurs.*"

Tales erant ii, qui omnia sanguinolento modo sanare statuerint et de quibus summo jure, omnibus quae obstiterunt a medico omissis sanguine, dici possit a parentibus et cognatis, qui affinem sanguine lapsantem

amisissent: en ne perdiderim quemquam sine caede meorum.

Jurabant in verba magistri atque saeviebant, quamquam exiguo tantum tempore postquam ille diem obiit supremum.

Post varios casus tempore et ratione mutatis medicinae historiam doceri oportere censebant Franci et cathedram huice scientiae destinatam erexerunt. Summo jure ita censebant, nam non nesciebant tempus gloriosissimum fuisse veteris medicinae, et nomina eorum, qui gloria invidiam eo tempore vicerunt, non solum talia sunt qualia a vobis memoria retineantur, sed ex quorum operibus jam nunc carpatis fructus et qui descripserint quae alii, sive Germani, sive alii suo nomine ut aliquid novi prodiderint. Vobis exempla dabo e quibus hoc patet. Si qui sunt, quibus debita laus ne retineatur oportet, inprimis nomino te, Littré, qui investigando in luce posuisti, quae sine te fortasse etiamnunc occulta essent. Tua historica fide freti medici, qui artem nostram in regionibus calidissimis factitabant, cognoverunt morbos, quos nondum viderunt et de quibus nesciebant, natura non dissimiles esse iis, qui a summo medico graeco descripti erant. Et Malgaigne et Pétrequin ex Hippocrate descripserunt (ut »sur les fractures et les luxations"),

quae nunc pro Malgaignii operibus, ergo pro novis habentur. Non sunt nova nisi sermo aut forma sit.

Si medici melius indagassent quae antiqua sunt non accidisset quod serius factum atque si non *inventum*, tamen novatum est, nempe discrimen motorios inter et nervos sensibiles; non aperto ore, quasi id novum esset, viderent aliquem torquere arterias, quod jam Sorano atque Heliodoro notum erat; mirarentur si animadvertissent totam quandam doctrinam de pulsu Rufo et imprimis Herophilo notam fuisse: sed quid vultis amplius? Dicerem etiam de urethrotomia, de diapedesi, a Cohnheym iterum inventa, de cataracta excidenda, de erysipelate gangraenosa et epidemica, quasi omnia nova atque novissime inventa essent. Respondete ergo, si quis vos rogat, si intellegere non vult et torvo vultu ea adspiciens caecus remanserit, respondete si quis, inquam, rogat, quid nobis cum historia medicinae? »Nihil."

»Ce n'est pas la faute de l'histoire, mais la faute des médécins, si l'histoire ne rend pas plus de services à la médécine. Qu'on l'interroge avec persévérance et avec discernement et il n'est pas un point important de la science ou de l'art, sur lequel elle ne fournisse une réponse décisive ou un renseignement utile." Daremberg.

Sed ne iniquissimus esse videar, tempus est dicere me non solum de veterum scriptis loqui, sed etiam de recentioris temporis. Ubi est et quis est antecessor qui doceat atque interpretetur, quae Morgagne, Laennec, Harvey, Haller, Sydenham, Boerhaave (de quo ultimo vos studiosos solum hoc scitis eum Leidae turpissimam statuam habere) ut alios omittam, scripsere? Quis vobis de scriptis doctrinaque eius narrat, vel mentionem facit eius ad quem epistolae missae sunt »Boerhavio in Europa?" Id etiam fortasse non nescitis, sed praeter nomen nil de eo audivistis.

Si quid ego liberius dixero, spero fore ut vos cogitetis mihi ignoscendum esse, mihi, qui per totum id longum spatium temporis quo Lugduni Batavorum fui numquam non nisi incredibili contemptu de literis humaniorum et de iis quae ad eas pertinent, id est de historia medicinae, colloquentes medicos audiverim. Eorum medicorum mens laeva erat; mihi patet via in qua nemini occurram, sed ea via recte insistere et ea pergrediendum mihi esse in animo habeo.

Nubila sunt quaedam; si mihi datum esset ea lucida reddere, vehementer gavisus laete pergerem et edendo et indagando scriptores veterum, nec solum eos, in quibus de aliqua re hodierno tempore nova tractatur,

sed operam daturus sum quaerendo, an non aliis aliquid insit, quod etiam, mihi quamquam notum, novum esse apparuisset, si eos scriptores non legissem. — Specimen ergo scripturus sum de quibus iam uno verbo supra memoravi. Non erit ita elaboratum ut mihi propositum habui, quoniam nos, quasi essemus monachi in diem laborantes, coacti sumus specimen edere, elaboratum aut non, ante Kalendas Octobres. Tempus satis longum fuisset, ni miserrima caecitate, veneno ex nicotino inhalato, oculis morbo affectis, mihi ad laborandum per menses septem tempus defuisset.

Scripturus sum de eo libro, qui attribuitur Rufo Ephesio et cui titulus est *σύνοψις περὶ σφυγμῶν*. In eo non invenitis enarratim descripta quae sciebant veteres de pulsu, sed animadversiones de pulsu in nonnullis morbis, et ita sunt descripti modi ut statim cognoscere possitis eum pulsum non parvi aestimasse et ex eo multos morbos cognoscere voluisse. Nomina specierum pulsus etiamnunc exstant et fere eodem modo utebantur veteres ac nos quum de discrimine, aut quali modo inter sese differant pulsus, audimus praeceptores. — Versio latina huiusce libelli non exsistit nisi barbarissima, cuius paene obliti sunt historici et quam numquam vidi.

Qualis sit ea versio cognoscere possitis ex Ackermann, qui eam ab Arabe vel Arabista scriptam esse monet. Scriptor, aut is qui *vertit*, ipse non intellexit quae aut vertere putabat aut scribere coactus erat, quod patet ex Darembergi citatis.

Si ego coactus essem, horum quoque ratione habita, eam vertere, finem imponerem labori, nam versionem latinam (sic) istiusmodi nullo modo intellegere possem.

Judicate vosmet ipsi. Verba referam eo modo ac relicta sunt et reperiuntur apud Daremberg.

Prima paragraphus ita vertitur:

»Hoc ei quod de pulsibus possibile est competentem modum circuit." Verbis non quidem omnibus latinis sensus non inest. Nemo intellegit. Paragrapho quarta quae sequuntur non minus sunt curiosa; τελευταῖον δὲ τοὺς παρὰ τοῖς ἀρχαίοις κατονομασθέντας vertuntur:

In fine vero pulsus qui ablati sunt denominati."

Haec duo exempla sufficiunt, alia etiam in notis Darembergi adscripta invenire potestis. Statui ego hoce specimen de pulsu vertere latine, atque ita vertere ut omnibus, quidem latinitatis non nimis oblitis, lectio synopsidis pateat. Correcte vertam, facillimo sermone indutam versionem reddam.

Multi viri docti inter sese disputaverunt utrum hic

libellus attribuendus sit Rufo an alteri. Sine fructu disputant et ad rem non attinet. Mea non refert nec multum interest, utrum ille Ephesius id scripserit an non. Habemus Synopsin et nil interest sit Rufi an alterius opus. — Sed non facio cum Germano Ackermann contendente id ab Arabe quodam scriptum esse specimen.

Ut paucis verbis refutare videar, esto hisce. Arabes non Graece scribebant, sed ea servaverunt quae a Graecis relicta sunt.

Si qui sunt dicentes Graecitatem esse barbaram non cum iis disputabo, nam verum est. Si tamen hanc ob rem cum scriptorem legere nonvultis, abjicite etiam novum testamentum, cui nihil fere bonae Graecitatis inest, nisi quam quod servatum sit ex naufragio Pauli.

Neque hoc est specimen literarium, siquidem eo literaria tractantur. Medicorum, fac sint qui meam dissertationem legant, pertaesum esset, quidnam Graecitate valeat; eorum est scire quae Graeci de pulsu scripserint atque arbitrarentur. Porro, si nonnullos aureo saeculo viventes excipiatis, etiam veteres medici erant *βαρβαρόφωνοι* et quoque barbara scribebant. Additamentum in animo est addere, in quo dicam de nonnullis ad Graecitatem nostramque artem pertinentibus, atque brevissimis exponam

quid sciam de vita Rufi Ephesii. Si mihi tempus non defuisset et parallelos pulsus scripsissem, Herophilo et Rufo auctoribus, et comparationem instituissem horum medicorum sententiarum et hodiernorum nostraeque aetatis artis nostrae interpretum. Sinite ergo illa quoque in (sit non complures) dies dilata esse.

Si haec enim iis qui nostram artem docent vel docturi sunt atque docentur satis fecisse intellexero, in animo habeo eadem ratione, parvo tempore praeterlapso, et Herophili quaedam et Heliodori chirurgica edere in lucem.

Haec pauca sunt, plura polliceor dum finem impositurus sum meae praefationi. Tempus nunc est gratias agendi atque valedicendi, ut mos atque aequum est omnibus, qui academiam relinquunt ut quasi redivivi societatem intrent.

Gratissima mihi est atque erit recordatio illorum temporum, quum vobiscum frequens essem, amicissimi sodales. Vestra amicitia, si qui erant dies nubili, in laetos conversos esse voluit, vesta bonitas sivit me aliquando animum explere. Jus sodalitium non sinet vincula rumpi quibus nos jungimur, quamvis nos ab utraque parte alia signa secuturi simus. Vestra omnium suavissima consuetudo atque frequentia me docuit quid significet alumnis academiae praesidium libertatis. — Servate ergo eam

libertatem omnia libere dicendo quaeve vituperanda vel emendanda sint et abjicite omnia quae turpi obsequio (sit venia verbo) similia videantur esse. Cogitatote vos liberos e liberis natos libere dicere oportere et libere dicendo libertatem incolumem esse servandam esse a proavis vobis impositum.

Ne sitis immemores temporis, quo dies natalis trecentesimus celebratus est cum totius Europae doctissimis viris. Undique Leidam convenerunt, inter quos quidem ex regionibus vix a sole illustratis, qui gratias agerent soli literario Lugduno-Batavo, qui effecit ut clarius videre possint et quo factum est ut apud eos etiam omnia literaria florerent.

Vos tunc etiam admonui et paucis tunc dicta repetam. Colite, observate tales hos viros, horum virtutem imitamini et enitimini, ne sequenti tempore umquam Academia Lugduno-Batava meliores liberos sumpsisse quam genuisse videatur.

Populus non mortuus est, cui memoria rerum gestarum cordi est, et qui, hanc historiam diligenter colens, nomina memoria retinet civium bene de patria meritorum.

Audite hanc ob rem Salustium ubi dicit: »Namque ego saepe audivi Q Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis

nostrae praeclaros viros solitos ita dicere: cum maiorum imagines intuerentur vehementissime sibi animum ad virtutem adcendi. Scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, set memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere neque prius sedari quam virtus eorum famam atque gloriam adaequarit."

Neque solum oportet eos adspicere qui defuncti sunt; habetis etiam lumina, quos ut exempla intueri possitis.

Habemus nostrum Cobetum, qui tota Germania profligata victor indefessus et philologorum facile princeps non solum exstat dicendo docendoque, sed cuius animi acumen et sollertia etiam nunc spargendo quae et alteri saeculo profutura sint efficit ut totus exercitus philologorum Germanorum eius nomen reformidet.

Adspicite Dozy, clarissimum virum, qui se talem historiographum praestiterit ut Hispanis quidem magnopere profuerit, ea describendo quae ad hunc usque diem erant et forte remansissent in occulto ni ab eo Arabum linguae quam peritissimo defossa essent.

Sed longum est omnes enumerare disciplinis de patria bene meritos. Nomina prodere sufficit.

Non opus est dicere quid valeant Donders, v. d. Bolden,

Kaiser (nam horum ultimorum defunctorum nomen non cum iis interiit), neque quid vos valeatis, Goudsmit et Buys, praeceptores omnibus carissimi.

Quis est qui nesciat Scholten et Kuenen esse theologorum principes? ubi sunt qui nomen non audiverint tuum, Kern? quis est, Fruin, qui tua historiae fide fretus et te duce erraturus sit? Tu tua vita, eum bene vixisse qui bene latuerit ratus, haud dissimilis es Thucydidi.

Restat ut exempla gloriosa afferam illorum, qui medicina practica factitando vos medicos futuros vehementissime ad virtutem adcendant.

Quamquam illorum laus aliena est a literaria, tamen multum valuerunt, nam de genere humano bene meriti sunt.

Nomino te, Simon Thomas, qui tua obstetricia arte alterum genitorem te praestitisti illorum, qui sine auxilio tuo quamquam geniti non essent nati. Non tibi gratulatum ibunt homines gratia populi valentes atque aureis vestimentis ornati, sed pauperum imprimis mulieres quas tu servasti tibi gratias agant aequum esse videtur.

Vides, vir clarissime, me non iniquum esse tuam laudem

extollentem, quamquam te praesente meque absente me calumniati sunt ii qui aut invidiosi erant aut me non bene noverant.

Laeta recordatione reminiscor temporis illius quo te, vir clarissime Rosenstein, adnexuerunt nostrae academiae amplissimi curatores.

Si quis alius tu medicus es non solum bene instructus, sed interpres nostrae artis tam peritissimus, ut in te magistro verum fiat quod Graece dictum est:

ὀλίγοι μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.

Scitote ergo, amicissimi sodales, quot exempla qualesque viri etiam nunc cuiusvis facultatis ut supra commemoravi supersint, quos intuentes quorumque virtutem imitantes vos patriae profuturos esse spero.

Unum nomen hisce addam ut eo cognoscatis quales cives et disciplinis et amore patriae flagranti vos esse deceat. Quum illustrissimo die natali trecentesimo finem fecerim dicendi in mentem mihi venit qualia et quot ex te audiverim, vir clarissime de Vries.

Haec erant quae Iheringium certiorem facerent se auditorio non placuisse dicentem terram nostram solumque Neerlandicum proprie Germanum esse. Abfuisti, sed mens tua in discipulos translata aderat.

Quoniam apud nos eius Germani verba altius in pectus descenderunt quam plerique rati sunt, tui diserti oratoris exempli memor eoque incitatus cum commilitonibus professoribusque extraneis iis verbis finem feci et speravi fore ut, si quando vicinus populus multitudine hominum nostros fines invasurus, nostram libertatem obruturus, nostros patres fratres filios consanguineos esset traducturus captivos, tunc, inquam, speravi et etiam nunc spero fore ut sint atque surgant viri fortissimi imperterriti intrepidi in periclis atque iidem patriae amantissimi alumni academiae Lugduno-Batavae.

Cavete ergo ne qua academia hanc laudem atque gloriam in posterum vobis detrectet.

Ne vos pristini patriae amoris sitis immemores, ut tu numquam oblitus es, vir clarissime de Vries, quali modo sese erga patriam viros praestare deceat, et in tali hoc viro habebitis illustrissimum exemplum.

Cordi mihi fuit tua amicitia atque honori; palam dico mihi illud tempus jucundissimum fuisse, quo tecum, viro ad quem facile aditus pateat, frequens essem et familiari consuetudine fruerer.

Quamvis tibi gratias agere non liceat pro auxilio mihi praestito in specimine conscribendo pro institutione

pristina tamen, praestantissime vir doctissime van den Es, hoc quam maxime licet; tu, ut alia egregia tua omittam, dilectissime conrector gymnasii Groningani, quo tempore ego tuus fui discipulus, semper erga me talis fuisti, cui neminem anteponam. Te Mentore studiis literarum humaniorum tunc operam dabam et gratissima mihi est recordatio illius temporis. Te mea sponte sequi volui Leovardia profectum, quoniam et jam eo tempore cognovi te non solum esse virum probum atque integerrimum, sed magistrum dignum ad quem posteritas cum gloria respiciat.

Qui justissimus non fuit magister non habebit discipulos gratos. Atqui tu. Sunt qui, tuam quamquam aequam severitatem senserunt, nondum obliti sunt tuae justitiae; non est cui tua suavitas atque probitas non cordi fuerint. Tua vita, tuis operibus non latet quod notissimum est Salustii et verum est: »falso queri de natura sua genus humanum quod imbecilla atque aevi brevis forte potius quam virtute regatur".

Accipe meum libellum atque meas gratias ne sis adspernatus.

Iterum iterumque vos valere jubeo quotquot estis nominati aut non nominati; gratias omnes accipite pro

vestra benevolentia erga me et hoc quidem vobis persuasum habetote me numquam obliturum notissimi Isocratis: *τῶν γὰρ ἀπόντων φίλων μέμνησο πρὸς τοὺς παρόντας ἵνα μὴ δοκῇς μηδὲ τοὶτων ἀπόντων ὀλιγωρεῖν.* Denique *Ὡς δὲ σὺ ῥέζειν* singulos vos oro obsecroque ne umquam obliviscamini.

RUFI EPHESII

ΣΥΝΟΨΙΣ ΠΕΡΙ ΣΦΥΓΜΩΝ.

ΣΥΝΟΨΙΣ ΠΕΡΙ ΣΦΥΓΜΩΝ.

Ἐγὼ προσέθηκα τοῦτο τὸ περὶ σφυγμῶν μονόβιβλον. Νομίζω δ' αὐτὸ μὴ εἶναι Γαληνοῦ ἀλλὰ Ῥούφου τοῦ Ἐφεσίου. τὸ γὰρ σύνταγμα οὐκ εἶχεν.

Τὴν περὶ σφυγμῶν πραγματείαν δεόντως ἄν τις ἐπιδράμοι, ἐπεὶ δίχα ταύτης ἀμήχανόν ἐστι κατὰ τρόπον θεραπεύειν· πρῶτον δέ φασιν Αἰγίμιον ἀρχαῖον γράψαντα, οὐ περὶ σφυγμῶν ἐπιγράψαι τοῦτο, ἀλλὰ περὶ παλμῶν· ἠγνόησε γάρ, ὡς εἰκός, ὁ ἀνήρ, εἴ τις ὑπάρχοι διαφορὰ σφυγμοῦ τε καὶ παλμοῦ, καθὼς ἑξῆς ὑποδείξομεν, πρῶτον εἰπόντες, τί ἐστι σφυγμός.

1. Ὅρος· τί ἐστι σφυγμός; Σφυγμὸς τοίνυν ἐστὶ διαστολὴ καὶ συστολὴ καρδίας καὶ ἀρτηριῶν· μόνα γὰρ ταῦτα τῶν ἐν ἡμῖν τὴν σφυγμικὴν κίνησιν κινεῖται, τὰ δ' ἄλλα

SPECIMEN DE PULSU.

Ego hunce libellum de pulsu adjunxi. Mea sententia non est Galeni, sed Rufi Ephesii (opusculum), nam inordinatum est.

Aliquis necesse operam det apto usui in pulsu sentiendo, quoniam sine hoc fieri non potest ut alicui recto modo medearis.

Dicunt Aegimium, medicum antiquum, qui primus (de hac re) scripsit, non de pulsibus sed de palpitationibus (librum suum) inscripsisse. Nesciebat enim ille vir, ut veri simile est, quid inter sese discrepent pulsus et palpitatio, ut nos enarratim in luce posituri sumus, primum cum dixerimus quid sit pulsus.

I. Definitio. Quid est pulsus? Pulsus igitur oritur ex diastole et systole cordis atque arteriarum; eae enim solae sunt (partes) in nostro corpore, quae motum

ὅσα δοκεῖ καὶ αὐτὰ σφυγμικῶς κινεῖσθαι, ὡς αἱ περὶ τὸν ἐγκέφαλον μήνιγγες ἐπὶ τῶν παίδων βλεπόμενοι, κατὰ μετοχὴν τῶν ἀρτηριῶν κινοῦνται.

II. Περὶ τίνα μέρη γίνεται παλμὸς καὶ σπασμὸς καὶ τρόμος; Ὁμοίωται δὲ τῷ σφυγμῷ ὅ τε παλμὸς καὶ ὁ σπασμὸς καὶ ὁ τρόμος· καὶ γὰρ καὶ ταῦτα δοκεῖ τισιν οὕτως γίνεσθαι, ὥσπερ καὶ ὁ σφυγμὸς, ἔκ τε διαστολῆς καὶ συστολῆς· διαφορὰ δ'ἐν αὐτοῖς ὑπάρχει πλείστη. Πραξάγορας μὲν οὖν ὑπέλαβε ταῦτα ἀλλήλων διαφέρειν ποσότητι, οὐκέτι δὲ καὶ ποιότητι· γίνεσθαι γὰρ ἐκ μὲν τοῦ σφυγμοῦ, μᾶλλον αὐτοῦ περὶ τὴν κίνησιν ἐπιταθέντος, τὸν παλμὸν, ἐκ δὲ τοῦ παλμοῦ τὸν τρόμον· καὶ ταῦτα μὲν ὁ Πραξάγορας ἀνὴρ οὐχ ὁ τυχὼν, οὔτ' ἐν τοῖς κατὰ τὴν ἰατρικὴν θεωρήμασιν, οὔτ' ἐν τῷ ἄλλῳ βίῳ. ὁ δὲ Ἡρόφιλος ἀκριβέστερον ἐπιστήσας τῷ τόπῳ ἐν ποιότητι μᾶλλον αὐτῶν τὰς διαφορὰς εὗρεν· γίνεσθαι γὰρ τὸν σφυγμὸν περὶ μόνας ἀρτηρίας καὶ καρδίαν, τὸν δὲ παλμὸν καὶ τὸν σπασμὸν καὶ τὸν τρόμον περί τε μῦας τε καὶ νεῦρα

pulsatorium movent, — reliquae partes quotquot videntur pulsatorio motu moveri ut meninges, quae encephalum tegunt vel circumdant, ut apud infantes adspicere potestis, arteriarum participi motu moventur.

II. In quibus partibus oritur palpitatio et spasmus et tremor?

Simillima palpitatio et spasmus et tremor pulsui sunt. Ea quoque eodem modo ac pulsus orta esse ex cordis diastole et systole nonnulli sibi persuasum habent. Maximum est discrimen quo inter sese differunt.

Praxagoras autem putabat haec inter se differre quantitate non qualitate.

Putabat enim palpitationem oriri ex pulsu, dum hic motu inscresceret, ex palpitatione vero tremorem.

Ita sententiam suam esse expromsit Praxagoras, vir haud mediocris, neque in iis quae medica theoremata nominant neque in aliis vitae disciplinis. Herophilus autem accuratius animum ad locum ubi reperiantur vertens invenit discrimen magis situm esse in qualitate.

Eo auctore pulsus nascitur (e motu) ope solarum arteriarum, et cordis palpitatio, spasmus et tremor autem (a motu incitatis) musculis et nervis dependent.

καὶ τὸν μὲν σφυγμὸν συγγεννᾶσθαι τῷ ζῴῳ καὶ συναποθνήσκειν· ταῦτα δ'οὔ.

καὶ τὸν μὲν σφυγμόν, πληρουμένων καὶ κενουμένων, ἀπροαιρέτως πάντοτε παρακολουθεῖν, ἐπεὶ καὶ φυσικῶς ὑπάρχει, ταῦτα δ'εἶναι καὶ ἐν τῇ ἡμετέρᾳ προαιρέσει, ἀποπιεσθέντων πολλάκις καὶ βαρυνθέντων τῶν μερῶν.

III. *Πῶς γίνεται σφυγμός;*

Γίνεται δὲ σφυγμὸς οὕτως

Ἡ καρδία, ὅταν ἐπισπᾶσηται ἐκ τοῦ πνεύμονος τὸ πνεῦμα, πρώτη αὐτὸ δέχεται εἰς τὴν ἀριστερὰν αὐτῆς κοιλίαν, εἶτα ἐπισυμπεσοῦσα ἐφεξῆς αὐταῖς ταῖς ἀρτηρίαις ἐπιχορηγεῖ.

Συμβαίνει οὖν, ἐπὶ μὲν τῆς συμπτώσεως πληρουμένων τῶν ἐν τῷ σώματι ἀρτηριῶν, τὸν σφυγμὸν ἀποτελεῖσθαι, κενουμένων δὲ, τὴν συστολήν.

αἱ μὲν οὖν ἀρτηρίαι, καθὼς εἶπον, τὸν σφυγμὸν ἀποτέλοῦσι πληρούμεναι καὶ δεχόμεναι τὸ πνεῦμα, ἡ καρδία κενουμένη, καθὼς ἐξῆς ὑποδείξομεν.

οἰκεῖον οὖν [καὶ τὸν ὅρον ἀπεδώκαμεν αὐτοῦ,] σφύγμὸν λέγοντες εἶναι διαστολὴν καὶ συστολὴν καρδίας καὶ ἀρτηριῶν· σύγκειται δ'ὁ σφυγμὸς ἔκ τε διαστολῆς καὶ συστολῆς· ἐπεὶ δ'ἰσοχρόνως καρδία τε καὶ ἀρτηρία τὸν σφυγμὸν ἀποτελοῦσι

Pulsum quoque una cum animali nasci et una cum eo interire (statuit), de hisce (palpitatione et spasmo et tremore) se aliter sentire.

Pulsum idcirco, (hisce organis) repletis atque depletis, inconsulto et ubicunque insequi debere, ipsa probante natura, haec vero in nostra voluntate esse, dum partes (singulas) exsangues reddamus aut sanguine retento supra modum repleamus.

III. Quo modo nascitur pulsus?

Pulsus oritur hoce modo.

Cor, aere ex pulmone sibi retracto, primum hunc (aerem) recipit in sinistram partem cavam, deinde collapsum cor [sanguinem] in arterias prosequenti modo distribuens propulsat.

Accidit nunc, corde collapso, (sanguine) repletis in corpore arteriis pulsum gigni, depletis arteriis systole oritur.

Arteriae ergo, ut quidem dixi, (sanguine) repletae et sibi aere accepto gignunt (eodem tempore) pulsum, dum id quoque fit eodem tempore corde vacuo, ut nos ordine demonstrabimus.

Idoneo modo igitur definivimus dicentes pulsum esse diastolen et systolen cordis arteriarumque.

Pulsus exsistit (componitur) ex diastole et systole.

καὶ διὰ τοῦτο ὑπολαμβάνουσι σχεδὸν ἅπαντες ὅτι πληρουμένων ἀμφοτέρων ὁμοῦ γίνεται· βούλομαι παραστῆσαι τὴν πλάνην αὐτῶν. ὅτι μὲν γὰρ ισόχρονον ἐκ τῶν ἀρτηριῶν καὶ τῆς καρδίας τὸν σφυγμὸν γινόμενον καταλαμβάνομεν, φανερόν, ὅτι δὲ τῶν ἀρτηριῶν πληρουμένων, τῆς δὲ καρδίας κενουμένης τοῦτο γίνεται, ἐβουλόμην ἀναπέμπειν τοὺς βουλομένους μαθεῖν ἐπὶ τὴν ἀνατομήν, ἵνα δὲ μὴ δόξω φθονερὸς εἶναι καὶ βάσκανος διὰ συντόμων παραστήσω.

Ἡ καρδία τῷ σχήματι κωνοειδὴς ὑπάρχει, καὶ τὸ μὲν πλατὺ μέρος αὐτῆς, ἐν ᾧ πάρεστι καὶ τὰ στόματα τῶν κοιλιῶν αὐτῆς, τῷ πνεύματι προσπέφυκε καὶ μεταξὺ τῶν τεσσάρων αὐτοῦ λοβῶν κεῖται [ὁ γὰρ εἷς λοβὸς βραχύτατος τῶν λοιπῶν ὑπάρχων τὴν τρίτην (?) τοῦ θώρακος εὐρυχωρίαν ἐκπεπλήρωκεν] τὸ δ' ὀξὺ καὶ παράμηκες ἄνω πρὸς τῷ στέρνῳ, οὐχ ὥστε συνδεδέσθαι ὥσπερ καὶ ἡ βάσις τῷ πνεύμονι, ἀλλ' ἐστὶν ἀπόλυτον. Περιέχεται δὲ πανταχόθεν ἡ καρδία ὑμένι τῷ καλουμένῳ περικαρδίῳ· οὗτος δ' οὐ μόνον τῷ πνεύμονι προσπέφυκεν, ἀρχόμενος ἀπὸ τῶν πλατυτέρων, ἀλλὰ καὶ τῷ στέρνῳ ἐν οἷς μέρεσιν ἔφαμεν τὸ τῆς καρδίας ὀξὺ ἀπολύτως κεῖσθαι.

Dum eodem tempore et cor et arteria pulsum gignunt, putant fere omnes eum iis (corde atque arteriis) repletis uno et eodem tempore nasci.

Eorum (medicorum) errorem refutatum esse volo. Quod enim eodem tempore pulsum fieri ex arteriis et corde statuimus planum est, id autem accidere repletis arteriis, corde autem depleto atque vacuo, eos qui hoc discere volunt ad anatomen quam devolvant consulantque de ea re remissos esse volo. Ne ego quidem avidus neve nasutus esse videar brevissimis verbis meam opinionem exponam.

Cor est formae conicae, cuius latissima pars, in qua insunt ostia cavitatum, coaluit cum pulmone et sita est medium tenens inter quattuor lobos [unus enim lobus minimus reliquorum tertiam (?) partem excavatam thoracis explet], apex autem subacutus et oblongatus ad sternum vergit, (sed eo modo) ut non cum eo conjunctus sit neve adhaereat, ut basis quae pulmoni colligata est, sed liber sit. Cor ab omni parte circumdatum est membrana, quae pericardium vocatur. Ea membrana non solum cum pulmone coaluit, initium capiens e latissima parte (cordis) sed etiam ei regioni sterni conjuncta est, in qua memoravimus apicem cordis libere pendentem esse locatum.

Συμβαίνει τοιγαροῦν, ὅταν ἐκ τοῦ πνεύμονος ἐπισπάσηται τὸ πνεῦμα πληρουμένην πανταχόθεν αὐτὴν εἰς τὰ πλάγια χωρεῖν, καὶ πολὺ ἀπὸ τοῦ στέρνου ἀφέλκεσθαι. ὅταν δὲ πάλιν συμπέσῃ καὶ κενωθεῖσα εἰς τὸ φυσικὸν σχῆμα ἀναδράμῃ τότε προσάλλεται τῷ στέρνῳ καὶ τὴν πληγὴν ποιεῖ καὶ οὕτως συμπίπτουσα τὸν σφυγμὸν ἀποτελεῖ.

IV. *Περὶ τῶν κατὰ τὰς ἡλικίας σφυγμῶν.*

Τούτων δ' οὕτως ἐχόντων, ἐροῦμεν πρῶτον τὰς διαφορὰς τῶν φυσικῶς ἑκάστῃ ἡλικίᾳ παρεπομένων σφυγμῶν, — ἔπειτα τὰς γινομένας ἐπὶ τῶν πυρεσσόντων, — καὶ μετὰ ταῦτα τοὺς εὑρισκομένους κατὰ τὰ πάθη, — τελευταῖον δὲ τοὺς παρὰ τοῖς ἀρχαίοις κατονομασθέντας.

Τῶν μὲν οὖν ἀρτιγενῶν παίδων ὁ σφυγμὸς ὑπάρχει βραχὺς παντελῶς καὶ οὐ διωρισμένος ἔν τε τῇ συστολῇ καὶ τῇ διαστολῇ. τοῦτον τὸν σφυγμὸν Ἡρόφιλος ἄλογον συνεστάναι φησίν, ἄλογον δὲ καλεῖ σφυγμὸν τὸν μὴ ἔχοντα πρός τινα ἀναλογίαν. οὔτε γὰρ τὸν διπλάσιον, οὔτε τὸν ἡμιόλιον, οὔθ' ἕτερόν τινα λόγον ἔχει οὗτος, ἀλλ' ἐστὶ βραχὺς παντελῶς καὶ τῷ μεγέθει βελόνης κεντήματι ὁμοίως ἡμῖν ὑποπίπτει.

Accidit nunc quod aere ex pulmone extracto et eo ab omni parte repletum cor ad latera vergitur (ad modum ergo torquetur) et magno spatio intermisso a sterno abstrahitur; quum iterum collabitur et vacuum est, redit ad formam naturalem et eo tempore sterno adeo adpropinquat eoque concusso et eo modo cum eo congresso pulsum reddit.

IV. De pulsibus qui pertinent ad (diversas) aetates.

Quae quum ita sint, nunc primum exponemus discrimina pulsuum ad quamvis aetatem secundum naturam pertinentia, deinde eas species pulsuum (tractabimus) quae apud homines febriculosos reperiuntur, posthaec de occurrentibus in nonnullis morbis pulsibus (monebimus), qui ab antiquis medicis denominati sunt.

Pulsus apud recens natos brevis est ab omni parte neque definitus in systole neque in diastole. Haece species pulsus ab Herophilo dicitur ratione carere (ἄλογον).

Alogon nominat eum pulsum, qui cum aliis comparatus non habet analogiam. Nam non habet numerum vel rhythmum, id est neque duplex est neque unam atque dimidiam partem habet, neque quemvis rhythmum habet, sed est ab omni parte brevis et quod attinet ad magnitudinem nobis acus quod pupugerit similis esse apparet.

διὸ καὶ πρῶτον αὐτὸν Ἡρόφιλος ἄλογον δεόντως εἶπεν. Προβαινούσης δὲ τῆς ἡλικίας καὶ τοῦ σωματος εἰς αὐξησιν ἐρχομένου καὶ ὁ σφυγμὸς πρὸς λόγον μεγεθύνεται πρὸς λόγον τὴν διαστολὴν τῆς συστολῆς λαμβάνων πλατυτέραν. ὅτε λοιπὸν ἐστιν αὐτοῖς καὶ λόγον ἐφαρμόσαι πρὸς ἀπόδειξιν ἐκ τοῦ ποδισμοῦ τῆς γραμματικῆς Ὁ μὲν γὰρ πρῶτος ἐπὶ τῶν ἀρτιγενῶν παίδων εὑρισκόμενος σφυγμὸς ῥυθμὸν λήψεται τοῦ βραχυσυλλάβου καὶ γὰρ ἐν τῇ διαστολῇ καὶ τῇ συστολῇ βραχὺς ὑπάρχει καὶ διὰ τοῦτο δίχρονος (υ υ Pyrrhichius) νοεῖται

ὁ δὲ τῶν πρὸς αὐξησιν ὄντων ἀναλογεῖ τῷ τε παρ' ἐκείνοις ποδὶ τροχαίῳ (— υ). ἐστὶ δὲ οὗτος τρίχρονος, τὴν μὲν διαστολὴν ἐπὶ δύο χρόνους λαμβάνων ἐφ' ἕνα δὲ τὴν συστολήν.

ὁ δὲ τῶν ἀκμαζόντων ταῖς ἡλικίαις ἐν ἀμφοτέροις ἴσος ὑπάρχει, ἔν τε τῇ διαστολῇ καὶ τῇ συστολῇ [παραβληθεὶς τῷ ποδὶ σπονδαίῳ, ὃς τῶν δισυλλάβων ποδῶν μακρότατος ἐστιν] (— —). ἐστὶν οὖν κείμενος ἐκ χρόνων τεσσάρων· τοῦτον τὸν σφυγμὸν Ἡρόφιλος δὶ ἴσου καλεῖ.

Hanc ob caussam jure Herophilus primus fuit qui eum pulsum ἄλογον denominavit.

Aetate et corpore progredientibus et crescentibus, etiam una cum his pulsus grandior fit, eademque ratione diastole cum systole comparata largior est. Superest nunc etiam rhythmum iis aptare, comparatione ex arte metrica grammaticae sumta. Prima species, nempe pulsus recens natorum, rhythmum habet eundem ac metrum bipede compositum ex duabus syllabis brevibus. Nam in diastole et systole manet brevis, quam ob rem putant eum esse dichronum (compositum ut duo tempora insequentia animadvertere possis) *v v*.

Pulsus apud eos, qui aetate provectiores sunt, analogiam habet cum trochaeo (— *v*). Hic pulsus est trichronus (ex tribus temporibus compositus), quorum temporum duo priora attinent ad diastolen, dum reliqua syllaba brevis subdita est systolae.

Florentibus aetate pulsus in utroque tempore idem est, nempe in diastole atque systole, comparatur spondaeo, qui bipes ex bisyllabis (pedibus) longissimus est (— —); componitur igitur ex quattuor temporibus Herophilus hunc pulsum δι' ἴσου (adaequatum pulsum) denominavit (quoniam utrumque tempus adaequatum est). Pulsus spondaicus.

ὁ δὲ τῶν παρακμαζόντων καὶ σχεδὸν ἤδη γερόντων, καὶ αὐτὸς ἐκ τριῶν σύγκειται χρόνων (υ —), τὴν συστολὴν τῆς διαστολῆς διπλῆν περιλαμβάνων καὶ χρονιωτέραν· καὶ οὕτω μὲν οἱ κατὰ πλάτος ταῖς ἡλικίαις ἐν τῷ ὑγιαίνειν παρεπόμενοι σφυγμοί, ἑξῆς δὲ λεγέσθωσαν οἱ ἐπὶ τῶν πυρεσσόντων.

V. *Περὶ τῶν ἐν πυρετοῖς σφυγμῶν.*

Τῶν οὖν ἀρχομένων πυρέσσειν ὁ σφυγμὸς παντελῶς μικρός ἐστι καὶ ὑποδεδυκὼς εὑρισκόμενος ἐν ἀμφοτέροις ἔν τε τῇ διαστολῇ καὶ τῇ συστολῇ, ὡς σχεδόν ποτε καὶ μόλις ὑποπίπτειν· ἐν δὲ τῇ ἐπιδόσει κατ' ὀλίγον παραίξεται, τὴν διαστολὴν τῆς συστολῆς λαμβάνων μείζονά τε καὶ χρονιωτέραν διὰ τὴν τοῦ πνεύματος ἀνάβασιν· ἐν δὲ τῇ ἀκμῇ ἐν ἀμφοτέροις ἴσος ὑπάρχει ἔν τε τῇ διαστολῇ καὶ τῇ συστολῇ, ἅτε καὶ τοῦ πυρετοῦ τὴν ἰσότητα ἀπειληφότος. ἐν δὲ τῇ παρακμῇ τὴν μὲν συστολὴν τῆς διαστολῆς λαμβάνει χρονιωτέραν. Ἡ δὲ θερμασία πλεονάζει μᾶλλον ἐν τῇ κοιλίᾳ ἢ ἐν τοῖς ἄκροις, διότι ἐν μὲν ταῖς ἀρχαῖς σχεδὸν ἅπασα ἡ θερμασία ἐν τοῖς μέσοις πλεονάζει, ὡς πολλάκις καὶ περιψύχεσθαι συμβαίνει τὰ ἄκρα.

Longius aetate provectorum et senescentium constat pulsus ex tribus temporibus (υ —) (pulsus iambicus). Systole diastoles duplex est diutiusque durat. Sic se habent pulsus quantitate apud homines sanos aetatibus diversis, enarratim nunc tractantur eae pulsuum species, quae apud homines febriculosos cernuntur.

V. De pulsibus in febribus.

Ineunte febri pulsus ab omni parte est parvus et subditus in utroque tempore, id est in diastole et systole, ut paene eum digito tactum, sit quidem difficile, sentire posses.

In stadio incrementi febris etiam pulsus parum increscit ea ratione ut diastole maior fiat quam systole etiamque diutius duratura sit propter febrem adscendentem.

In acme febris utroque tempore pulsus manet adaequatus, et in diastole et in systole, quippe qui febri adaequatus sit.

In stadio decrementi febris systole longiore tempore utitur quam diastole. Calor enim potius accumulatur in abdomine atque eo (calore) superat extremitates, quamobrem ineunte febri totus calor accumulatus est in mediis partibus corporis (abdomine), ita ut saepius etiam accidere soleat frigidas esse extremitates.

ὅτε δ' εἰσὶν ἐν ταῖς ἐπιδόσεσι, περὶ μὲν τὰ μέσα πλέων ἡ θερμασία ὁμοίως εὑρίσκεται, ἐν δε τοῖς ἄκροις ὀλιγωτέρα· ἀκμὴν δὲ καὶ στάσιν τοῦ πυρετοῦ λαμβάνοντος, καὶ ἡ θερμασία ἐπίσης εὑρίσκεται ἔν τε τοῖς ἄκροις καὶ τοῖς μέσοις καὶ οὗτοι μὲν οἱ κατὰ πλάτος τοῖς πυρέττουσι παρεπόμενοι σφυγμοί.

VI. *Περὶ τῶν ἐν πάθεσι σφυγμῶν. Τῶν δὲ κατὰ τὰ πάθη γινομένων σφυγμῶν πολλῶν καὶ διαφόρων ὑπαρχόντων περὶ τῶν ἐν τοῖς ὄξεσι παρεπομένων ἐροῦμεν. — Τῶν τοίνυν φρενιτικῶν ὁ σφυγμὸς βραχύς ἐστι καὶ εὐτονος, διὰ τὴν συνεχῆ τοῦ πνεύματος ἐκ τῆς ἀγρυπνίας κίνησιν, καὶ προσπίπτων τῇ ἁφῇ, ὡς ἂν προσπέσῃ τῇ χειρὶ ἀπὸ τόξου τεταμένη νεῦρα (?) καὶ παντελῶς ἐλαχίστοις μέρεσι τῆς χειρὸς ἡμῶν προσπίπτει.*

Τῶν δὲ ληθαργικῶν ὁ σφυγμὸς μέγας τε καὶ διάκενος κατά τε μῆκος καὶ κατὰ πλάτος ἡμῖν προσπίπτει, τοῦ βάθους νοουμένου, διὸ καί τινες ἐτόλμησαν εἰπεῖν τὸν σφυγμὸν ἀσώματον.

Increscente febri plus caloris etiam nunc reperitur in abdomine et quoque minor (quamquam non tantopere ac supra memoravi ineunte febri) est in partibus extremis corporis.

In acme (culmine) et stabilitate febris reperitur calor adaequatus et partibus extremis et iis quae in medio corpore sitae sunt. Ita se habent species pulsuum quod attinet ad latitudinem apud homines febriculosos.

VI. De pulsibus in morbis.

Dum species pulsus in morbis multum inter sese discrepant, nunc de iis tractabimus, quae in morbis acutis reperiuntur. — Apud phrenitide affectos pulsus brevis est et durus ob motum continuum aeris, ortum ex insomnia, et digitum tangentem percellit haud dissimili sensu atque corda in arcu tensa, si eam manu attigeris, et totus hic pulsus solum minimam partem digiti comprimentis percutit.

Lethargicorum morborum autem pulsus magnus et vacuus, cuius adscensum atque latitudinem sentire possimus digito tangente; de altitudine quidem sententiam habere licet (eam digito sentire nequimus), quam ob rem nonnulli ausi sunt dicere hunc pulsum esse sine corpore (*ἀσώματον*).

τῶν δὲ καρδιακῶν ὁ σφυγμός ἐστι μικρότερος μὲν τέλεον (?) τοῦ τῶν φρενιτικῶν, εὐτονώτερος δὲ μᾶλλον καὶ οἱονεὶ μυωδέστερος, ὥστε καὶ ἄλλοτε ἄλλοις μέρεσι προσπίπτειν τῇ ἁφῇ. τοῦτο δὲ γίνεται τοῦ πνεύματός ποτε μὲν ὕφεσιν λαμβάνοντος καὶ ἐποχήν, ποτὲ δὲ πάλιν ἐπίτασιν. — Τῶν δὲ πλευρικῶν τε καὶ περιπνευμονικῶν ἐν ὀλίγοις μέν τισίν ἐστιν ἡ διαφορά, μόνοις δὲ τοῖς ἄγαν ἐμπειρικοῖς καταληπτή. ὀξύς τε γὰρ καὶ σφοδρὸς ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον εὑρίσκεται καὶ τὰς προσβολὰς ἀνωμάλως πολλάκις ποιούμενος.

Τῶν δὲ ἐπιληπτικῶν τῶν μὲν γινομένων ἄνευ σπασμῶν τε καὶ συνολκῆς τῶν μερῶν ὁ σφυγμός ἐστι μέγας τε καὶ διάκενος, συνεχής τε καὶ δεδιωγμένος ἐπὶ τὸ πλεῖστον.

Τῶν δὲ γινομένων μετὰ σπασμῶν ὁ σφυγμός ἐστι μέγας τε καὶ διάκενος μόνον παραπλησίως τῇ τῶν ληθαργικῶν σφυγμῷ. καὶ οὗτοι μὲν οἱ κατὰ τὰ πάθη ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον παρεπόμενοι σφυγμοί.

Γνωστέον δ' ὅτι πᾶς σφυγμὸς συνέστηκεν ἐκ μεγέθους καὶ τάχους καὶ πληρότητος καὶ ῥυθμοῦ· καὶ μέγας μέν ἐστιν,

Pulsus in morbis cardiacis minor quidem quam ille in phrenitide; durior autem et quasi musculosior est ita ut digitum tangentem nunc hic nunc illic (alio tempore aliam partem) incutiat. Inde oritur quod aer altero tempore minuitur et moratur, altero quidem auctus procedit.

Species pulsuum in morbis pleuriticis et peripneumonicis haud multum differunt, quod discrimen solum a peritissimis medicis animadverti (καταληπτή?) potest. Plerumque enim fit ut acutus et impetuosus reperiatur, saepe inaequali modo quatit digitum tangentem.

In morbis epilepticis qui initium capiunt sine spasmis neve partibus contractis pulsus magnus sed vacuus, continuus et saepius perceler est.

In morbis epilepticis, spasmis comitibus, pulsus quidem est magnus et solum vacuus, haud dissimilis pulsui lethargicorum morborum. Sic se atque plerumque habent species pulsuum quod attinet ad morbos nominatos.

Sciendum est omnes pulsus constare et dividi secundum magnitudinem, celeritatem, plenitudinem et rhythmum.

Magnus enim est qui, quod ad longitudinem, latitu-

ὃς καὶ κατὰ μῆκος καὶ πλάτος καὶ βάθος ἀξιολόγως τῇ ἁφῇ προσπίπτει. Πλήρης δ' ἐστὶν ὁ σφοδρῶς καὶ οἱονεὶ νευρικῶς τὴν ἁφὴν πλήσσων. εὔρυθμος δ' ἐστὶν ὁ ἐν ἑκάστῃ ἡλικίᾳ τὴν φυσικὴν ἀκολουθίαν σώζων. καὶ οὗτος μὲν λέγεται εὔρυθμος σφυγμός· παράρρυθμος δ'ἐστὶν ὁ ταύτην μὴ συντηρῶν· ταχὺς δ'ἐστὶν ὁ ταχέως ἐφαλλόμενος τῆς χειρός. τάχος δὲ πυκνότητος διαφέρει τὸ μὲν γὰρ τάχος κατὰ μίαν δύναται τῆς ἀρτηρίας νοεῖσθαι προσβολήν, τὸ δὲ πυκνὸν κατὰ πλείους. οὕτω γοῦν λέγομεν ταχύν τινα τὸν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ μῆκος ἀνύοντα, πυκνὸν δὲ τὸν συνεχῶς ἐπὶ τὸν αὐτὸν παραγινόμενον.

Τὰ δὲ γένη τῶν σφυγμῶν ἐστι κατὰ μὲν τὴν ἠρεμίαν, πυκνότης καὶ ἀραιότης, κατὰ δὲ τὴν κίνησιν [καὶ] τάχος καὶ βραδυτής, κατὰ δὲ τὸν τόνον σφοδρότης καὶ ἀμυδρότης, κατὰ δὲ τὸ σῶμα τῆς ἀρτηρίας σκληρότη, καὶ μαλακότης.

dinem atque altitudinem attinet, digitum tangentem firmiter quatit.

Plenus autem est ille qui impetuose quatit et quasi chordae tensae reddit sensum digito tangenti.

Eurhythmicus (justa mensura reddita) est pulsus qui una cum aetate progredientem naturalem conservat rationem. Hunc igitur eurhythmicum pulsum vocamus.

Pararrhythmicus (justa mensura non reddita) denominatur qui, hance rationem non conservans, celer it atque repente insiliens manum quatit. Pulsus celer et frequens inter sese differunt. Celeritas cognoscitur ex digito semel tacto arteria quatiente; ad frequentiam cognoscendam compluribus ictibus opus est; sic videlicet nominamus eum pulsum celerem, qui exiguo tempore adscensum perficit, frequentem autem, qui constanter quatit adscensu superato (longiore tempore ad adscensum perficiendum usus).

Species pulsuum, ratione habita quietis, sunt pulsus frequens atque rarus; secundum motum dividuntur in pulsum celerem et tardum; secundum tensionem in fortem atque infirmum; secundum (maiorem aut minorem) tenacitatem corporis arteriae in durum atque mollem.

Οὗτοι μὲν οὖν οὕτως, ἑξῆς δὲ περὶ τῶν ὑπὸ τῶν παλαιῶν ἀναγεγραμμένων σφυγμῶν τῶν ἀναγκαιοτάτων καὶ ἐν συνηθείᾳ ὄντων ἐροῦμεν.

Λέγεταί τις σφυγμὸς μυουρίζων οὗ πάλιν δύο διαφοραί· ὁ μὲν γὰρ προσπεσὼν μέγας τε καὶ σφοδρός, εἶτα τὰς ἑξῆς διαστολὰς μικροτέρας λαμβάνων, τελευταῖον δὲ πάλιν ὥσπερ καὶ πρότερον μέγας προσέπεσε καὶ σφοδρός· ὁ δὲ σμικρὸς προσπεσὼν καὶ τὰς ἑξῆς διαστολὰς μεγάλας ἀπεργασάμενος, πάλιν καὶ οὗτος ὥσπερ πρότερον μικρὸς προσέπεσεν.

Οὗτος οὖν ὁ σφυγμὸς εὑρίσκεται μέν ποτε καὶ τοῖς ὑγιαίνουσι φυσικῶς παρακολουθῶν. ὅταν δ' ἐπὶ νοσούντων εὑρεθῇ, ὁ μὲν τῇ σμικρότητι πλεονάζων τοὺς μέλλοντας φρενιτικοὺς γενέσθαι προδηλοῖ, ὁ δ' ἐν τῇ μεγαλότητι πλεονάζων τοὺς εἰς λήθαργον ἐμπεσουμένους.

Λέγεται δὲ καὶ παρεμπίπτων σφυγμός, ὅταν πλείονας διαστολὰς καὶ συστολὰς ἀπεργασάμενος ἐάσῃ (?) καὶ δευτέραν διαστολὴν πυκνοτέραν ἐπενέγκῃ. οὗτος ὁ σφυγμὸς γίνεται μέν ποτε καὶ τοῖς ὑγιαίνουσι παρακολουθῶν. ὅταν δ' ἐπὶ νοσούντων εὑρεθῇ οὐδένα τόνον σημαίνει.

Ita nunc pulsus species dividuntur et ita se habent. Nunc enarratim locuturi sumus de pulsibus ab antiquis descriptis idque de iis, quos scire necesse est et qui maxime in usu notique sunt.

Pulsus existit quem nominamus myurum, cuius duae inveniuntur species. Quarum prima ut pulsus qui digito tactus fortiter atque impetuose quatit, posthac, paullatim diastole diluta, deminuitur, postremo redit ad inceptum ut eodem modo ac incipiente ictu fortiter atque impetuose digitum quatiat; altera autem species est ille pulsus qui incipiente ictu parvus est deinde fortioribus ictibus grandior fit, quibus peractis demum ad statum pristinum parumper redit. Haec species invenitur nonnumquam ut fieri solet apud eos qui bona valetudine fruuntur. Si quando invenitur apud morbo affectos, is qui plus valet parvis ictibus indicat aegros in phrenitidem esse incasuros, dum qui praestat magnitudine ictuum monet lethargum aegrotantibus appropinquare.

Nominatur pulsus intercidens, qui compluribus diastolis systolisque peractis, sinit (?) et insequenti ictu diastolen esse acutiorem efficit. Illa species nonnumquam apud sanos quidem invenitur. Si quando apud homines morbosos reperitur significat aegrum tono carere.

Λέγεται δέ τις σφυγμὸς καὶ δίκροτος ὅταν διαστᾶσα ἡ ἀρτηρία μείζονα διαστολὴν ἑτέραν ἐπενέγκῃ βραχυτέραν. Οὗτος ὁ σφυγμὸς γίνεται ἐπὶ τῶν ὑγιαινόντων ἀπὸ δρόμων ἢ γυμνασίων, ἢ ἄλλο τι συντόνως ἡμῶν ἀπεργασάντων [sic]. ἐπὶ δὲ νοσούντων ἐν ταῖς ἀναβάσεσι μάλιστα τῶν πυρεσσόντων εὑρίσκεται.

Λέγεταί τις σφυγμὸς δορκαδίζων, ὅταν μέγας προσπεσὼν εὐθὺς βραχὺς προσπέσῃ. ὡς δοκεῖν, πρὸ τοῦ συσταλῆναι τέλεον, τὴν ἀρτηρίαν πάλιν ἐπιδιΐστασθαι· οὗτος ὁ σφυγμὸς εὑρίσκεται μάλιστα ἐν τοῖς περὶ τὸν θώρακα νοσήμασιν.

Λέγεται δὲ καὶ σφυγμὸς μυρμηκίζων· οὗτος δ'ἐστὶν ὁ συνεχῶς καὶ λεπτῶς διαστελλόμενος, ὡς δοκεῖν μύρμηκος ἐπὶ χειρὸς γίνεσθαι περίπατον καὶ σχεδὸν ἐπὶ πάντων ἐν τῷ τελευτᾶν εὑρίσκεται.

Ἔσχατος δὲ πάντων καὶ βραχύτατός ἐστιν ὁ καλούμενος σκωληκίζων· οὗτος δ'οὕτω σμικρὸς καὶ ἀσθενὴς ὑπάρχει καὶ ἀμυδρὸς ὅτι ἐπὶ μὲν τοῦ μυρμηκίζοντος καὶ βραχυτάτου

Appellatur quaedam species pulsus dicrotus siquidem arteriam in duas partes divisam maiore prima parte diastoles perfecta, insequentem (ad ipsam diastolen attinentem) partem breviorem (i. e. minus *erectam*) reddit.

Hic quidem pulsus nascitur apud sanos post strenuum cursum aut gymnicam exercitationem peractam, aut si qui magna opera perfecerunt. Apud aegros plerumque increscenti febri reperitur.

Appellatur caprinus (caprisans) ille pulsus, qui statim forti ictu quatiens ipsissimo insequenti ictu minor fit ita ut videatur arteria antequam ab omni parte compressa est (ad systolen insequentem) recte perficiendam diluta esse (quasi se quiete recuperare vellet). Hic pulsus se maxime obfert in iis morbis, qui pectus afficiunt.

Dicitur etiam pulsus formicans. Ille autem quamquam constanter tamen subtiliter quatit, et formicae in manu repentis haud dissimilem sensum reddit. Reperitur fere apud omnes moribundos.

Ultima species et omnium et infirmissima et brevissima est ille pulsus quem vermicularem denominaverunt. Hic enim pulsus tam parvus et infirmus atque insensibilis est, ut, si quidem in pulsu formicanti, quamquam

παντελῶς ὑπάρχοντος νοεῖται ἡ διαστολὴ καὶ συστολὴ, ἐπὶ δὲ τούτου οὔδ' ὅλως, ἀλλ' οἷον εἴλησις μόνον καὶ κυλισμὸς τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς ἀρτηρίαις ἀποτελεῖται.

etiam infirmissime (brevissime) diastolen et systolen distinguere licet, in hac specie nullo modo hoc fieri possit, sed quasi tractus solum atque volvulatio aeris in arteriis discernatur.

ADDITAMENTUM

AD

RUFI EPHESII

ΣΥΝΟΨΙΝ ΠΕΡΙ ΣΦΥΓΜΩΝ.

ADDITAMENTUM.

OBSERVATIONES IN RUFUM EPHESIUM.

De dialecto admodum Ionica neque de stylo neque de verbis barbaris quaedam dicere non opus esse mihi videtur.

Barbare conscriptum est specimen Rufi de pulsu, ut jam supra in praefatione memoravi. Ut jam ante dixi versio latina non exstat, nisi quae sit barbarissima, quam tamen numquam vidi, sed cuius quaedam a Darembergio citata perlustravi, palam dicens me neque alium interpretem ea intellegere posse.

Quod attinet ad clarissimum virum Darembergium necesse est paucissimis quidem verbis aliquid dicere.

Nonnulla insunt Rufo, quae vario modo a nostrum utroque intelleguntur, quod statim apparebit, si quae

ab utroque scripta sunt comparare velis. Graeci contextus ratione non habita etiam perperam quaedam explicavit.

Lectio, quam secuti sumus, est secundum Codicem Florentinum, et ea talis evasit, qualem purgare nemini in mentem veniet.

Simplicissimae res confunduntur et verba creantur, quae in tota Graecitate abiiciuntur, ut *μονόβιβλον* exempli gratia; alia vario modo scribuntur ut *πυρέττειν* et *πυρέσσειν*, *διπλάσιον* et Ionicum *διπλήσιον*. Non emendavi multum neque multa; sint solum ea quae non mutata neque emendata sensum obscurum reddant.

Sed enarratim ea sequi, quae observanda sunt, mihi et lectori facillimum esse videtur. Descriptor etiam quaedam textui immiscuit et sua sponte barbara libidine usus est.

Non est Graecum quod ille scripsit in eo sensu *τὸ γαρ σύνταγμα οὐκ εἶχεν* (p. 36). Si qui sunt, qui de scriptore de omnibus confuse tractante suam opinionem exprimere velint, hos dicere oportet *ἀτάκτως ἔχει* (scil. *τὰ γεγραμμένα*).

Descriptorem significationem verborum nescire apparet (p. 36) ex *νομίζω δ'*. *Δέ* enim hic superfluum est. Si autem eo verbo usus esset significatione, *δή* id scripsisset; aut si aliud vellet verbum, praestaret *γέ*.

Nunc ad ipsissimum opusculum transeamus.

Aegimius (p. 36) nomen satis incognitum. Quae de eo scripsit Daremberg nullius pretii sunt.

Καθὼς ἐξῆς ὑποδείξομεν κ. τ. λ. (p. 36). Vide Darembergium meamque versionem. D. dicit in notis elisionem nusquam factam esse, quod verum non est, nam paragrapho prima contraria videtis.

§ I (p. 36.) *Μόνα.... κινεῖται.* Recte scribit singularis verbi tertiam personam post neutra pluralia.

Regulae autem oblitus est Rufus paragrapho VI, ubi scribit *τὰ γένη εἰσίν.* Debet esse *τ. γ. ἐστίν.*

§ II (p. 38.) *Ἐκ δὲ τοῦ παλμοῦ τὸν τρόμον.* Brevissimis verbis indicat tremorem oriri ex palpitatione. Mea sententia significat palpitationem gradatim diminuentem hoc nomen, id est palpitationis, non diutius mereri, sed eas minimis palpitationibus tremoris nomen contingere debere.



Pulsus. Palpitatio. Tremor.

Praxagoras Nicarchi filius anno 335 a. C. n. Bene meritus est de anatomia et pathologia; opera non exstant; a Galeno Caelioque Aureliano citata supersunt.

Herophilus Praxagorae discipulus. Primus ille Alexandro regnante de sphygmologia scripsit et de anatomia valde meritus est.

P. 38. *Ἐπιστήσας τῷ τόπῳ.* Vide meam versionem, qua patet Daremb. sententiam Rufi non intellexisse.

P. 40. *Συγγεννᾶσθαι* pro *συγγίγνεσθαι.* Ratum est. Scribimus *γεννάω* gigno, genitor sum, sed pro *γεννᾶσθαι γίγνεσθαι* utimur.

P. 40. *Ταῦτα δ' οὔ.* Secundum meam versionem D. non intellexit, multumque inter sese discrepant nostrae opiniones.

§ III (p. 40.) *Καθὼς εἶπον.* Vide D., ubi errat. *Ἰσοχρόνως.* Rufo auctore credebant veteres medici eodem tempore pulsum unoquoque loco totius corporis sentiri posse. Minimo autem tempore interlapso sentimus pulsum, e. g. in carotide et femorali vel poplitea.

P. 42. *Ὁμοῦ.* Melius est hic legere *ὁμοῦ* pro *ὁμοίως*, ut Dar. monet, quoniam sensum clarum reddit.

P. 42. *Ἐκπεπλήρωκεν.* Quamquam a Germana remotior est Graecorum lingua quam a vernaculo sermone distat, hoce verbum melius quid significet indicare possent Germanorum medici utentes verbo ausfüllen, eodem fere sensu ac nos belgice aanvullen.

§ IV (p. 46). *Δίχρονος.*

Quod attinet ad tempus in pedes divisum haecce retinenda sunt. Tempus necessarium ad brevem syllabam exprimendam nominatur mora. Hanc ob rem pes compositus ex duabus brevibus syllabis, ut Pyrrhichius (*∪ ∪*), habet duas moras. Longa syllaba utitur duplici tempore ac brevis; trochaeus ergo (— *∪*) tres, spondaeus (— —) quattuor moras possidet. Hisce cognitis satis clarum esse videtur quare ita nominentur a Rufo et unde nomina *δίχρονος*, *τρίχρονος*, *ἐκ χρόνων τεσσάρων* oriantur.

P. 46. *Παρ' ἐκείνοις*, (scil.) Grammaticis.

P. 48. *Χρονιωτέραν.* Ubicumque in nostro scriptore reperitur mendosa forma *χρονιότερος*. Non emendavit Daremberg meliora doctus.

§ V (p. 48). *Τῇ ἀκμῇ.* Bona Graecitate non utimur articulo. D. in sequentibus duplici modo explicuit vocabulum *ἴσος*, quo confunduntur quae clara sunt.

§ VI (p. 50). *Τῆς χειρὸς ἡμῶν προσπίπτει.* Graecum non est. Dicitur *προσπίπτειν πρός τι* vel *τινί*. Neque utitur genitivo possessivo *τῆς χειρὸς ἡμῶν*. Interpolatum a descriptore abiiciatur aut mutetur in *ἡμῖν*. P. 52. *Τέλεον* mallem legere *πλήν*. Vide D. ubi errat. — Ibid.

Καταληπτή. Huic verbo si vocabulum *διαφορά* praccederet, significare posset quod plures putant, nempe sentire:

ab iis qui valde periti sunt sentiri potest.

Διαφορὰς καταλαμβάνειν significat finem imponere controversiis. Mihi autem constat hic vertendum esse: a peritissimis solis observator si quidem inter se discrepent.

Ibid. *Γενομένων.* Restitui *γινομένων.* Pag. 54. *Ταχύν τινα κ. τ. λ.* non intellexit Daremberg.

Ibid. *Τὰ δὲ γένη... εἰσίν.* Lege *ἐστίν. Πάλιν καὶ οὗτος .... προσέπεσε*, melius est *προσπίπτει.*

P. 56. *Ἐάσῃ .... ἐπενέγκῃ.*

Interpunctio non valet et reddit sensum subobscurum. Ante *ἐάσῃ* interpunctio esto et mutandum est *ἐπενέγκῃ* in *ἐπενεγκεῖν.* Hanc paragraphum non intellexit Daremberg.

P. 58. *Λίκροτος.* Nil de hace paragrapho intellexit Daremberg.

Ibid. *παλιν ἐπιδιϊστασθαι.* Graecum non est; mallem legere *καλινδεῖσθαι.*

Sensus ita fieret:

ὡς δοκεῖν πρὸ τοῦ συσταλῆναι, τέλεον τὴν ἀρτηρίαν καλινδεῖσθαι. Sed quoque *τέλεον* mea sententia mutandum est in *πλέον*, ut clariorem habeas lectionem.

Ibid. *Μύρμηκος ἐπὶ χειρὸς γίνεσθαι περίπατον.* Mendosum est. Salvo genitivo *μύρμηκος* ejiciatur *γίνεσθαι.*

Ibid. *Ἔσχατος κ. τ. λ.* Prorsus insanit Daremberg in explicandis hisce.

De Rufi vita quod cognitum est, incertum est ac controversum. Eum Ephesi natum esse, sed Romae vixisse tradunt. Nil de eius vita relatum neque cognitum, nisi hoc solum sit eum plura opera scripsisse, quorum tria ad nos pervenerunt.

Plurimi scriptores perhibent eum Trajano imperante, ineunte saeculo secundo, Romae vixisse

E tribus eius operibus notis primum est *περὶ ὀνομασίας τῶν τοῦ ἀνθρώπου μορίων* (de appellationibus partium corporis humani).

Scriptum est hoc compendium de anatomia generali in usum studiosorum, quos perturbare posset nominum diversitas in veterum scriptoribus legendis.

In hoc invenitur descriptio satis accurata, licet pro eo tempore, de corde et de oculis; et quoque nervi in duas species dividuntur, nempe in nervos motorios et sensibiles.

Deinde opusculum *περὶ τῶν ἐν νέφροις καὶ κυστει παθῶν* (de renum et vesicae morbis) scriptum etiam servatum est, et ultimum quod nominandum est ab eo titulum habet *περὶ τῶν φαρμάκων καθαρτικῶν*. Huius libri solum fragmenta exstant posteritati relicta.

Si Oribasium Aetiumque devolvere vis, etiam hos scriptores cum laude de eo loquentes videbis.

Incertum est utrum Rufi sit a doctissimo Littré anno 1845 editum opusculum, cui titulus est Traité sur la goutte. (Revue de Philologie.)

Inter doctos constat Rufi non esse poëma quattuor carminibus conscriptum *περὶ βοτανῶν*, quorum solum fragmenta, a Galeno citata, supersunt. Non Rufi esse dicit Choulant in Compendio, nam talis medicus non tempus perdidisset ea describendo, quae ab insania remota non sunt.

Quae de eo scriptore eiusque vita narravi reperiuntur apud sequentes:

Suidas in v. *Ῥοῦφος*. Galeni opera. Sprengel, Hist. de la médecine. Haller, Bibl. Botanica. Choulant, Handbuch. Smith, Dictionary of Greek and Roman biography.

Ultimum opusculum, a plerisque Rufo non attributum, est Synopsis.

De hodierna Sphygmologia, ratione habita Rufi, quaedam praefari mihi necesse non opinor. Libri exstant, ubi ea repirire possitis.

Ne me accusetis scripsisse ἀποδιατρίβοντα τὸν χρόνον ex imo pectore precor atque spero.

THESES.

THESES.

I.

Rufus Ephesius, *περὶ σφυγμῶν*, § VI, p. 54. Spec. *ἐπὶ τὸν αὐτόν*, lege: *ἐπι τὸ αὐτό.*

II.

Ibidem § VI, p. 58. Spec. *πάλιν ἐπιδιΐστασθαι*, lege: *καλινδεῖσθαι.*

III.

Typhus exanthematicus en typhus abdominalis zijn twee zoo verschillende processen en hebben zoo weinig overeenkomst, dat ze beiden niet als typhus mogen betiteld worden.

—

IV.

Guttmann drukt zich te sterk uit, wanneer hij beweert: »Unbedingt gebührt dem Plessimeter der Vorzug vor dem Finger bei der Percussion des Abdomen."

V.

Het gezegde van Biermer: »dass das Emphysem in vielen Fällen würde verhütet werden, wenn die Hustkrankheiten besser gepflegt und behandelt würden", heeft grootendeels betrekking op chronische bronchitis.

VI.

Van een intern klinisch standpunt zijn tegen het opereeren met den Schlauch van Esmarch gewichtige bezwaren in te brengen.

VII.

Het begrip van Romberg voor 't ontstaan van verandering en stoornissen in organen door herhaald gevestigde attentie op die deelen is alleen en nog wel gedeeltelijk aannemelijk met betrekking tot het hart.

—

VIII.

Op het tegenwoordig standpunt is het nieuwe decimale gewicht bij het voorschrijven gevaarlijker in 't gebruik dan het oude niet tiendeelige stelsel.

IX.

Vaccinatie geschiede van Staatswege onder zeer strenge contrôle.

X.

Bij catarrhale dysenterie vergete men nooit onderzoek in te stellen naar 't bestaan van opgehoopte faeces.

XI.

Voor het verklaren van congenitale luxatie der heup is de theorie van DÖLLINGER de beste.

XII.

Bij verwonding van slagaderen is dubbele onderbinding in de wond aangewezen.

—

XIII.

Fracturen kunnen door vet-embolie aanleiding geven tot den dood.

XIV.

Indien bij steen-operatie de chirurg in twijfel verkeert, volgens welke methode hij zal opereeren, moet hij alleen kiezen tusschen sectio alta of mediana.

XV.

Bij het experimenteeren en voorschrijven met alcaloïden dient niet alleen op de alcaloïden, maar wel degelijk op de verbindingen, waarin ze voorkomen, gelet te worden.

XVI.

Bij eene eventueele herziening der pharmacopoea moeten, evenals in andere pharmacopoea's, algemeene voorschriften gegeven worden voor veel gebruikt wordende pillen en poeders.

—

XVII.

Indien men bij eene verlossing slechts te kiezen heeft tusschen sectio caesarea en perforatie, kieze men de perforatie.

XVIII.

De straf voor een medicus, die bij gevallen van puerperaalkoorts toch doorgaat accouchementen te verrichten, moest zijn omschreven en zoo groot als bepaald wordt tegen manslag uit onvoorzichtigheid begaan.

XIX.

Poging tot opwekking van abortus moest strafbaar zijn.

XX.

De uiterste consequenties der sexueele moraal in praktijk gebracht, zijn bij ontdekking strafbaar, volgens den C. P.

XXI.

De definitie »het hart is een holle spier" deugt niet.

XXII.

De hypothese, dat het omgekeerde beeld, op de retina gevormd, ons recht voorkomt, omdat wij van jongs daaraan gewend zijn, is niet zeer aannemelijk.

XXIII.

Volgens de ideën in den tijd van Homerus, bestonden er twee ligamenta teretia om den femur in de pan te houden.

XXIV.

Hystero-epilepsie is een woord, geen concreet begrip.

XXV.

Het is zeer waarschijnlijk, dat om dezelfde redenen, waardoor de Koran opgang maakte, ook de leer van Avicenna zoo goed ingang vond.

XXVI.

Bij elementair onderwijs in de physica mag men, alhoewel zij volkomen juist is, de definitie »Eenparige beweging is die, waarbij de snelheid constant is", niet gebruiken.

—

XXVII.

Bij het bouwen van ziekenhuizen volge men de practische methode der Amerikanen.

XXVIII.

De redenen, die de koningshoofden in Frankrijk (1793) en Engeland (1649) deden vallen, waren nagenoeg tegenovergesteld.

XXIX.

De redenen, die Cromwell koningsmoorder maakten, weerhielden hem zelf koning te worden.

XXX.

Non facio cum Cobeto falsam manum adfinxisse Virgilio (Aen. II, 400—401):

pars ingentem formidine turpi
scandunt rursus equum et nota conduntur in alvo.

Legendum est:

ut nota *condantur* in alvo.

XXXI.

Horat. Carm. II, 16, 19 sq.

Sole mutamus. Patriae quis exsul
Se quoque fugit?

Lege:

Sole mutamus patriam. Quis exsul
Se quoque fugit?

XXXII.

De historie der medicijnen moest aan elk der vier Nederlandsche Universiteiten gedoceerd worden.

XXXIII.

De eed bij de promotie aan den medicus opgelegd moest dadelijk afgeschaft worden.